

MAURITII ELECTORIS SAXO-

niæ: Cusus expeditione contra Carolum V. Imp.
susceptâ, Anno Christi

1552.



LST Batænæ, monstro maritimo, ea corporis vastitas: ea in effundendis per narium spiracula procellis, vehementia: ut nautæ armis telisque nullo ei modo resistere queant. Caterum stratagemate suppleant quod viribus decedit: obijciunt dolia, pilas, trabes, bacillos, belluæ, ut, dū in hæc vires vanè suas exercet, elabendi interim atque effugiendi occasionem habeant. Sed & tractum hac ex historia monitum: esse per cuniculos supplantandos, qui viribus ac potentia nobis sunt longè superiores: non aperto Marte oppugnandos. Et His quidem ARTIBUS usus quoque fuit Mauritius Elector, contra Carolum Imp. in manus arma sumpturus: dissimulavit, quantum potuit, ægrimoniam è Landtgravij foceri captivitate diuturna, spretisque tot à Cesare precibus, contractam: misit legatos suos ad concilium Tridentinum, quod ex Principibus fecere pauci: testè habuit foedus, cum Gallo ictum: in speciem multa egit alia, quibus consiliarijs quoque suis in tanto rerum molimine, glaucoma obijceret. Constitutis tandem ex sententia rebus suis, probeque stabilitis, preces in arma vertit: cogit exercitum è milite potissimum, quo Magdeburgum oppugnaverat: jungit sibi socios Guilhel mum Hessi filium: Joannem Albertum Meckelburgi Ducem: Albertum Brandenburgium: omnes foederi militiæq; Franciæ ascriptos. Hi primo in Sueviam irrumpunt, liberas passim civitates occupant: tormenta aurumq; extorquent: protestantiū Magistratū, rejecto Pontificio restitunt. Idem Augustæ admissi faciunt, restitutis etiā civium tribubus, à Cesare dissolutis. Ulmam Caesaris præsidio munitam, frustra oppugnant: multatâ octodecim aureorum Rhensensium millibus ad Alpes contendunt. Mense demum Junio certior factus Caesar de Mauritijs sociorumque ejus conatu,